



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis  
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de  
Antverpiae, 1610**

19 De fide intrumentorum & tabellionum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

Iason fere vltimo loco Ioan. And. opinionem retulerit, eū huiusce distinctionis auctore retuli. Quo fit, vt delegatus principis punire possit hoc crimen non iudicio, nec pœna ordinaria, sed extraordinaria tantum, quippe qui obiter, & incidenter valeat hanc punitionem exercere. Sunt tamen qui & in quocunque delegato, etiam inferioris a principe, opinentur, posse admitti quo ad pœnam extraordinariam priorem sententiam, cuius opinionis auctores libenter ipse fecerim, & adduxerim eos, qui priorem partem secuti sunt, & Salyc. in d. l. nullum. Fulg. & Cur. Iuniorum. nu. 14. in d. §. qui mandatum. quorum sententiam veram esse censere in eo delegato, qui non haberet iurisdictionem ita restrictā, vt sit interdicta punitio criminalis. Nam vbi delegatus sic datus sit, vt nullam habeat puniendi crimina potestatem, profecto non poterit is punire testem huius criminis reum: atque ita forsan est accipiendus locus iuriconsulti in d. l. diuus Pius. quemadmodum voluerit Angel. in l. quoties. C. de iud. & Hipp. in l. 1. §. prater ea. nu. 34. ff. de sciscris. Igitur delegatus a principe poterit quo ad pœnam extraordinariam vt hac punitione, quæ conceditur, & permittitur ab imperatore in d. l. nullum. & idem erit, vt quidam opinantur in delegato inferioris a principe, modo non sit ei interdicta criminalis punitio. Sed & locus erit huic opinioni, etiā si testis sit speciali priuilegio exemptus à iurisdictione illius iudicis, coram quo testificatur. quod Fel. scribit in c. verū col. 3. de foro comp. ex ratione text. in c. 1. de priuileg. in 6. modo testis non sit clericus, & ecclesiasticæ iurisdictioni ratione ordinis subditus: hic etenim non poterit à seculari iudice puniri etiam si coram eo inferendo testimonio crimen commiserit, sic sane autoritate illius generalis constitutionis, quæ traditur in cap. si diligenti de foro comp. & in c. 1. de cler. coniug. in 6. tenuerunt Innoc. Hostien. Ioan. Andr. Anto. Panorm. nu. 18. Felin. in col. 3. post. alios in d. c. verum. Paul. Gastren. in d. l. nullum. Ioan. Bernardus pract. crimin. c. 87. Iaf. in d. §. qui mandatum. col. pen. & Dd. in c. dicitur de penis. & in c. 2. de crimin. falsi. Quorum Opinio Communis est, vt fatetur eam sequutus Matth. de Afflict. de c. 238. col. 1. eandem sequitur Bart. in l. diuus Pius. ff. de falsi, etiam si gl. Cyn. Bald. & Salic. in d. l. nullum. Fred. conf. 93. contraria opinio fuerit professi, eamque seruari & passim admitti apud Gallos aſſeueret Guliel. Benedicti. in c. Episcopus de testib. in verb. & vxorem nominis Adelisiam n. 434. Scribit tamen Freder. pœnani, quæ tunc sit clerico inferenda, si de corporis distinctione tractetur: non posse per laicum iudicem executioni tradi; & ideo eandem executionem Episcopo delegandam.

Sed & hac in re Matth. de Afflict. in Neapoli. decis. 119. tradit in Regio illius regni pratorio definitum fuisse, cum apud ecclesiasticum iudicem laicum quidem falsum testimonium dixisset in causa matrimoniali, locum esse præuentioni, ac potuisse iudicem secularem huius criminis punitionem exequi, si in cognitione delicti iudex laicus prauenerit ecclesiasticum, qui non poterit in hac specie inhibere laicum huius criminis cognitione, & punitione, cuius decisionis auctorem citat Bald. in d. l. nullum. col. 2. & in d. l. 1. col. vlt. C. quom. & quando iudex. qui satis abest ab huius controuersie definitione. Nam in dicit l. nullum. tractat de duob. iudicibus diuersi fori. quorum vnus ex commissione alterius testem examinauerat, & nihilominus ipse opinor verum esse præcatam decisionem in hunc sane sensum, vt iudex ecclesiasticus nō possit inhibere laicum iudicem iam præuenientem huius criminis punitione, licet etiam ipse valeat quo ad pœnam extraordinariam procedere contra ipsum testem: quod ipse Matth. de Afflict. fatetur in d. decis. 219. quasi viri illi doctissimi, qui illius decisionis auctores fuere, palā senserint, posse iudicem ecclesiasticū inhibere laicum hac cognitione, quoties ipse ecclesiasticus præoccupauerit huius incidentis criminis examinationem.

Illud vero existimo non esse dubitatione dignum, quod potest contingere, vbi testis clericus falsum apud iudicem secularem dixerit, nullo modo debere admitti inhibitionem iudicis ecclesiastici quo ad examinationem & cognitionem, ac definitionem causæ principalis, quæ apud iudicem secularem tractatur. Hæc etenim erit definienda à iudice laico: nec eius examen suspendi debet propter causam, quæ ab ecclesiastico iudice super punitione falsi testimonii aduersus clericum testem expeditur & examinatur. quod Bald. notat in l. 1. col. vlt. C. quom. & quando iudex. & eleganter Fred. conf. 93. incip. Falsum, quod proponitur. quin & ipse iudex

laicus ad effectum pronuntiandi sententiā iustam in ipsa principali causā, & lite, poterit plane cognoscere, an clericus falsum dixerit testimonium: quod omnes fatentur.

## CAPVT XIX.

De instrumentorum fide traduntur multa, quæ cum practicis, tum theoreticis erunt fortasse conducibilia.

## SUMMARI A.

1. Originale & Authenticum, qua in significatione, hæc in parte accipiuntur.
2. Protocolum quid sit, & unde originem habuerit, & inibi de matricibus, ac matriculis.
3. Instrumenti publici fides, an periclitetur ex eo quod Protocolum non inueniatur.
4. Exemplar, quoniam modo differant.
5. Tabellionis officium, an sit vtile, & an infamis possit illud obtinere.
6. Spiritus potestis esse Tabellionis & Decurio.
7. Nobilis huiusmodi in tabellionis officio constitutus, & eo frangens, non cogitur eam potestatem contribuere in regalibus suis.
8. Clerici & monachi, an possint esse tabelliones.
9. Prima & potissima autoritas instrumenti ex eo deducitur, quod eius auctor fuerit à principe Tabellio constitutus.

His, qui judicialibus controuersis in struendis & definiendis operam dare conantur, frequentissime obuium est, quam fides iure scripturis & instrumentis data sit, & quam forma in eisdem vt debeant ad auctoritatem, & fidem conciliandam, vt iudicibus persuaderi possit vera esse, quæ hæc passim enunciantur. Idcirco non grauabor, imo facturum me operæ pretium existimo, si quædam hac de re paucis tradidero, quæ possint esse cõpendio ad huius tractatus praxim & examen, de quibusdam dictionibus vti maxime receptis aliquot premittem. Passim etenim mentio fit instrumenti originalis præsertim à glossam l. 2. de si. in iud. Dicitur autem originale instrumentū ipsa prima scriptura, quasi origo sit ipsius actus, & omnium exemplarium, quæ inde deduci, ac traduci possunt: quod probatur in c. de fid. instr. & aliis multis in locis, maxime in d. l. 2. ff. eod. tit. l. 4. & l. Pomp. ff. fam. her. c. c. ieiunium. 76. dist. tametsi nullibi mentio huius dictionis fiat, quam in hac significatione communis recepti vsus. Tertul. equidem lib. de carne Christi, originalia instrumenta appellat ea testimonia, quæ probant Christi, quo ad humanam & veram carnem, originem. ita enim inquit: His opinor consiliis tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus est, ne caro eius probaretur. Hæc Tert. Sed & originale instrumentum, dicitur scriptura authentica. in d. c. 1. & in d. l. 2. de si. instr. atque in his locis, quæ modo adduximus: ea profecto ratione, quod Authenticum dicatur id, quod ipsiusmet auctoris sit, & ab eomet auctoritate habeat, nō aliunde: scilicet explicat optime Guliel. Bud. in commentariis lingua Græca, fol. 683. Quæ ratione Authenticum significat quod certum auctorem habet, & idcirco instrumenta authentica dicuntur illa, quæ certam ac iustam auctoritatem ac fidem habent, nempe ipsiusmet certi auctoris. sic Cicero epist. ad Attic. 187. lib. 9. & rursum l. 10. epist. 200. vsus est aduerbio *αὐθεντικῶς* quasi ex certa fide certoque auctore. Nam authentēs, Græce *αὐθεντικῶς* idem quod Latine Auctor significat. tametsi Theod. Gaza aſſeueret in lib. de mensib. veteres Latinos non fuisse vsos hac dictione secundum hanc significationem, quæ quidem huius dictionis propria est, vt ea significetur is, qui propria manu aliquid patrauerit ac fecerit, & tamen ipse Budæ. & Alciat. lib. 2. parerg. c. 46. probare conantur ex Cicero. & aliis maxime Iuriscos. etiam apud veteres eam significationem receptā fuisse, vt authenticum dicatur, quod certam fidem & auctorem habet. idcirco dicimus Iustiniani novellas authenticas, quod certā fidem habeant, & sint ex ipsomet Græco originali ad litteram traductæ. Igitur authenticum instrumentum ex prima, & proprio interpretatone dicitur ipsum originale, quod sit ipsiusmet primi auctoris, ab eoque ac non aliunde fidem habens. Deinde dicitur etiam authenticum instrumentum omne illud, quod certam, & indubitatam habet fidem.

Hinc denique deducitur vera interpretatio text. in d. l. 2. & in c. 1. de si. instr. Nam licet multoties exempla fidem faci-

ant & indubitata habeant auctoritatem, distinguuntur tamen ab authenticis scripturis secundum priorem significationem: quia hæc originalia, & ipsius auctoris sunt, illa vero aliunde consequuntur auctoritatem & fidem, iuxta ea quæ traduntur *me. cum P. tabelli. & in c. vlt. de fid. instr.* Aut tandem scriptura authentica dicitur ipsum originale, quia frequentius ipsius fides certa est, & indubitata: propter primi auctoris signum, subscriptionem, & litera: etiam si quandoque aliunde conquisita, & conciliata fide exempla, quia legitimum habent auctoritatem, non regulariter, nec frequentius, sed certis quibusdam casibus. Authentica dicuntur à iure & eius interpretibus. Sic & in c. 2. de fide instrum. authentica scriptura dicitur illa quæ originalis & ipsiusmet auctoris, licet ob aliquot causas non habeat iustam legitimam auctoritatem.

Fit item in hoc tractatu à nostris mentio de Protocol-  
lis tabellionum: & à Iustini in *authen. de tabellionib. §. illud quoque collat. 4. vbi gloss. in Bart. in l. G. illius. §. idem credendum. ff. de lib. & posthum.* olim siquidem Protocollium significauit quandam in charta capite notam, signumque quo videlicet artifice quoque tempore ea confecta fuerit cum comitis sacrarum largitionem nomine, vt constat in d. §. illud quoque. Nunc vero hæc dictio traducta est ad indicem, memorialemque tabellionis scripturam, qua in codice aliquo gesti actus substantia breuiter adnotari consuevit, vt extendi deinde, atque absoluti possit, quemadmodum tradit Viglius in §. nihil. *Instr. de test.* Quidam sane hanc dictionem interpretantur, vt protocolli duplici illic dicitur prima rei gesta concinnatio, à *πρωτά* Græca dictione, quæ dicitur Latine gluten. aliis placuit, protocollium simpliciter dici, quasi primam membranam, aut primum orationis seu scripturæ membrum: quia *πρωτά* membrum significat: atque ita Hermolaus in *Plin. lib. 13. c. 12.* interpretari videtur protocolli, quasi primam membranam, aut primam chartam: vt macrocollum longam chartam ex *Plin. in d. c. 12. & Cic. li. 13. epist. ad Attic.* vulgo protocollium etiam regitum dicimus, quod Latine quandoque aliud nomen habet. Nā & Matrices dicuntur protocolli, id est, prima scriptura, matrix appellari potest, quia inde traducuntur alia, & ab ea originem, atque auctoritatem habent. sicuti apud Sue. in *Augusto, c. 94.* Palma matrix dicitur, à qua, velut à matre palmites alii procedunt, apud Columellam vbi de columbis tractat; ita legitur *li. 8. c. 8.* Nam & octies anno pullos educat, si est bona matrix: rursus eodem c. nec minus in agros emittat matricem, quæ ouis, vel pullis incubant. Idem Columella eodem *lib. 7. c. 2. & 3.* & Marcus Varro *lib. 2. de re rustica, c. 4.* matricem gallinas appellat eas, quæ ad prognerandum aptæ sunt. Sic & Tertul. *lib. 4. aduersus Marcionem,* appellat Hierosolymam matricem religionis. Et Cyprianus *lib. de unitate ecclæs.* pulchra vltus translatione matricem appellat catholicam ecclesiam. Eadem sane ratione matrix dicitur vrbs, quæ est provincie & aliarum vrbiū caput, & ecclesia matrix, quæ aliarum princeps est. *capit. sacrorum. 63. distinctio. capi. ex transmissa. de prescript. Clem. 1. de senten. excom. c. 1. de prescript. Clem. 1. §. 1. de priuilegiis.* & in aliis plerisque iuris Pontificii locis adnotat ut Budæ. in l. obseruare. ff. de off. Procons. And. Alciat. *lib. 2. dispunct. c. 23.* idem in adnotationibus in tres libros Codicis, qui in specie tradidit, urbem matricem dictam fuisse à Græcis metropolim quia mater sit aliarum vrbiū, caput provincie, prima ciuitas, atque item illa, vnde colonie deducuntur. Idcirco metropolis hæc ciuitas dicitur, quæ mater est aliarum. *c. de his. 12. distinctio. l. 1. c. de metropoli. Berito. lib. 11. tit. 6.* Metropolis mentio à Iuriconsulto in d. l. obseruare. Hinc & Cato de originib. scribit, metropolis fuit Anxur. nunc Taracina, *Agell. lib. 3. de excidio Hierosolymitano,* de Antiochia inquit, vrbs ea Syriæ sine tractatione prima, ideoque metropolis habetur. Sic etenim se habet metropolis ad colomiam, vt mater ad filiam: quod ex Thucydide, & Suida Budæus eleganter explicat. Qua ratione Plutarchus in Timotheo, Corinthum Sicularum vrbiū metropolim appellat. Et Philon Iudæus de legatione ad Caium Hierosolyma metropolim esse dicit non vnus regionis, sed & multarum, propter colonias inde olim deductas. *Aeschylus* item in Persis, Salaminem Atticam, metropolim facit Salaminos quæ in insula Cypro à Teucio condita fuit. Metropolis autem dictio Græca est à *μητρό* *μητρών* id est, à matre, & ciuitate concinnata, vt obiter error Isidori manifestus sit, qui *li. 7. etymologia. c. 12. c. clericos. 21. distinctio.* opinatur me-

ropolitano dictos esse à mensura. Matrices etiā apud Tetr. *in l. de fisco in percussione* dicuntur libelli, in quibus Cæsaribus neficiarii, id est, imperiales ad exigenda tributa ministri obtinebat: quod Rhenanus ibidem exponit Hinc Matricula significacione paulo deflexa pro libello in quo series, & ordo quorundam hominum continebatur. idem probatur meminit ex codice Iustiniani in dictionario. in *verb. matricula.* Vtitur & hac dictione Vegetius *li. 1. de re militari. unde matriculati & immatriculati:* quibus dictionibus, & Hispani passim tantis tributa describuntur. atque hæc de matricibus sunt satis. Modo veluti per transfennam expendamus locum apud Cæsarem constitutionem in *l. eos qui C. de aqua. ductu. lib. 11.* cuius hæc sunt verba; *Eos qui aqua copiam vel otium, vel nunc per nostra indulta meruerint, eius vsus aut ex castelli, aut ex ipsi formis iubemus ecceteris nec earum fistularum, quas matricem vocant, cursum, aut soliditatem attentare.* Hactenus Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius in *l. 4. titul. 2. lib. 15. Theodosiani,* quem nuper Io. Tilius Engolimensis, typis tradidit. Dicuntur etenim *Fistule matricem,* quæ cæteris maioribus sunt in ipsis aqua ductibus, & ex quibus in minore fistulas distribuitur, ac deriuatur aqua. ita etiam Hispani cloacas immundiciarum, quæ maiores sunt, & quæ minorum immundiciis recipiunt, vt eas in flumen deferant, Matres appellamus. Quamobrem fallitur And. Alc. dum existimat in *d. l. eos non matricem* legendum, sed *matres.* non enim satis huius dictionis vim expendit, quippe qui assueret, non conuenire fistulas dictionem istam, nec quod matricem appellentur: atque ideo suspicatus est, eodidem vulgarem corruptum esse, cum & in ipso codice Theodosiano, à quo Iustinianus dicta constitucione deduxit, eadē sit littera, quæ & in vulgatis codicibus passim legitur.

De his autem protocolliis & originalibus fit mentio in *cap. quoniam contra. de probatio. vbi Panorm. & alij text. item est de hoc in cap. pen. de fide instr. vbi Abb. & Fel. est & Regia *l. p. tit. 19. par. 3.* quæ appellat hæc protocollo registros: & statuit hoc ipsum, vt tandem scriptura illa quæ primum est à tabellione confecta & scripta, & quæ penes ipsum manere debet, protocollium appellatur. quod etiam adnotat Bal. in *l. nostram. col. 2. c. de testa. Bart. in l. Sempronius. ff. de leg. 2. late Fel. in d. c. quoniam contra. nota. 7. Paul. Paris. consil. 28. lib. 2. num. 21.* Vnde tenetur tabellio protocollium hoc, seu registrum penes seipsum seruare, ac retinere, quemadmodum constat in *d. c. quoniam contra. & in auth. de tabel. §. illud. & in d. l. 9.* & ideo si tabellio non confecerit protocollium, nec seruauerit, puniatur arbitrio iudicis secundum Bald. in *rub. C. de fide instr. n. 28.* imo iure Regio debet non tantum scribere tabellio huic protocollo, sed & quolibet anno signū proprium adicere his, quæ eodē anno in protocollo scripta fuerint. *l. 31. an. 1525. l. bodie. l. 12. tit. 25. lib. 4. Recop. 1. 1. 86. anno 534. [bodie. l. 13. tit. 25. lib. 4. Recop.]* quarum posteriori quod de quolibet anno diximus in specie cautum extat, priori vero generaliter statutum est sub certa pena, quod tabellio signum propriū adiciat protocolli. Quod si aliqua scriptura producat in iudicium, cuius protocollium confectum non sit, aut semel factum non reperitur, non debet haberi fides in instrumento, quod no. Bal. in *rub. C. de fide instr. num. 20.* qui hoc intelligit verum esse, vbi contractus factus fuerit in scriptis. idem tenuerunt Roman. *con. 174. col. 4.* Dec. in *d. c. quoniam contra. nu. 51.* qui sequuntur Bald. opinionem, quam ipse falsam esse censo, quippe qui existimem, fidem habendam in instrumento, cui aliqui iure fides habenda est, quamuis non appareat protocollium seu archetypum, nec probet qui instrumentum producit, illud esse casu aliquo perditum, etiam si in scriptis fuerit contractus gestus. Hanc sententiam opinor in praxi admittendam fore, & hæcenus receptā esse. Nam ea scriptura, quæ conscripta est ab ipsomet tabellione protocolli auctore, coram quo res acta est, & ab eodem tradita proprio signo signata, originalis est dubio procul, non exemplum. *l. rromon & vbi gl. de testa. Bart. Alex. & Iaf. in l. h. quis. §. ff. de ead. Bart. Bald. Sal. Alex. Iaf. & Dec. in auth. h. quis in aliquo decem. c. de edendo. atque inibi Purpurat. & Curt. Iun. Ant. colum. vltim. in cap. 1. de fide instr. Fel. in c. vlt. eo. tit. 2. fallent. Abb. Card. Fel. colum. 2. in c. Alberic. de testib. Barto. in l. Sempronius. ff. de legat. 2. optum.**

optime Carol. Mol. in consue. Parisiens. §. n. 42. & ideo tabellione, qui semel dedit instrumentum proprio signo signatum alicui, non tenetur nec debet regulariter id iterum ei dare, cui potest ex repetita editione imminere preiudicium vt in instrumento crediti, nisi iudicis autoritate, & parte citata: quemadmodum idem Carolus explicat ex Bart. Alber. Alex. & Iac. in d. §. Prat. ait. Idem traditur in arte notariatus, 2. tomo, c. de refect. not. post alios Dec. in c. 1. de prob. n. 3. Quibus satis profecto constat, huic instrumento, quod esse originale probamus, fidem dandam omnino esse, licet non appareat protocollum, cum hoc sit originale, non exemplar. Huius opinionis auctor est Nicolaus de Matarellis, cuius meminit Bald. in d. rub. C. de fide instr. quem ipse simpliciter sequor. Nec quidquam in contrarium vrget text. in auth. de tabellionib. §. illud. quia specialis est constitutio quo ad vrhem Constantinopolitanam, vt ipse Nicolaus scribit: vel ex eo, quia licet ibidem tractetur de forma, & solennitate protocollis, vt absq; ea nihil probet: non tamen responsu est nec statuitur, non esse habendam fidem instrumento semel solenniter dato a tabellione, ex causa, quod protocollu non appareat. Idcirco licet Baldi opinionem sequi etiam sint Alex. in cons. 175. l. 7. n. 4. Paul. Cast. in cons. 125. col. vii. lib. 2. & scripserit Roma. in d. cons. 174. col. vii. hanc opinionem ita receptam esse, vt non habeat contradicentem, vt eius verbis vtar ipse nihilominus duo vel tria in hac ipsa questione libenter respondebo.

Primum, vbi non est actum de contractu in scriptis celebrato, nec in scriptis factus fuerit iuxta ea, quae in l. contract. C. de fide instr. traduntur, omnino fide facere, instrumentum ab ipsomet auctore notario traditu, ac signatu eius sigillo, etiam si protocollu non reperiatur nec probetur perditum fuisse. Potuit enim multis casibus protocollum perdi: & ita presumi potius debet, qua quod detrahatur fidei instrumenti, quod est originale, & solenniter confectum. Hanc opinionem Bald. ipse, quique eum sequuti sunt, fatentur veram in esse, & ideo communis erit censenda. Idem repetit Bald. in consil. 26. l. 4.

Secundum, etiam vbi actus in scriptis praecesserit, iuxta tradita d. l. contract. fides habenda est huic instrumento quod ab ipsomet notario traditu fuerit, etiam si protocollum non appareat, nec probetur a producente instrumentum eius amissio. Hanc opinionem nos aduersus Bald. & communem probamus sequuti Pau. Cast. in l. contract. col. vii.

Tertium constat, quod vbi producentis instrumentu habeat protocollu, aut praesumeretur id esse apud ipsu, cogendus erit petente aduersario protocollu exhibere praemisso iuramento, aut probatione, quod illud habeat: etenim equissimum est hoc fieri, vbi ille, contra quem instrumentum producit, allegat illud falsum esse, & ad hoc petit protocollum. Hac sententia deduximus ex his, quae notantur in c. conuict. & in c. perperuis. de fide instr. & c. 1. de prob. l. 1. §. de iud. Nam cum alter instrumentu producat, & e contrario eius fides ex ipsomet instrumento, vel ex eius protocollu, quod idem est, impugnetur tenetur illud edere qui produxit. Sed & in hac spece adnotauit Carol. Mol. in Alex. cons. 175. l. 7. tametsi contrariu responderit Ferrariensis in pract. rub. de forma opponendi contra instr. §. dignoscitur. n. 6. De Tabellione autem quod is teneatur omnino exhibere protocollum quoties de fide instrumenti controuertitur, nemo negat, nec vsquam negauit.

Quarto, erit obseruandum maximam subesse suspicionem, & praesumptionem falsitatis contra instrumentum, quod producit, quoties reperiuntur protocolla ipsiusmet tabellionis, eiusdem anni, & mensis, qui conscripti sunt in instrumento: & tamen nulla in his huius instrumenti reperitur mentio. Quis enim non videt multum ex hoc instrumentis similib. fidei detrahi: nisi probetur, aut appareat ex ipsis protocollis detractam fuisse vel fraude, vel casu partem aliquam, in qua potuerit huius instrumenti mentio contineri?

Quinto, & illud hinc deducitur, ex proxima causa, ac suspitione, vel ex alia praesumptione, Tabellionem torqueri posse quoties non reperitur protocollu instrumenti producti: nisi ipse probauerit casu vel alias protocollum perditum fuisse. Quod not. Bald. in rub. C. de fide instr. n. 18. Lanfranc. Orianus in c. quoniam contra. in verb. instru. produktiones. col. 5. de probationib.

De exemplaribus scribit Bart. in l. Sempronius. ff. de legat. 2. Exemplar ab exemplo distingui ex eo, quod exemplar sit

scriptura ipsius auctoris, & principalis, a qua transcribitur alia, quae exemplum dicatur. Quod Bartol. adnotauit d. l. Sempronius. quo in loco tradit iurisconsultus, vnius testamenti factas esse duas scripturas exemplarij causa. Nec tamen probatur ibidem, exemplar dici originale, sed quod vnius testamenti fiat duplex scriptura exemplarij causa. nempe, vt duo instrumenta sint ad facilius probandam testamenti feriem originalis exemplaris. Huic deinde Bartoli opinioni refragatur tex. in c. 1. de fide instr. quo in loco exemplar dicitur ipsa scriptura traducta ex originali. Eadem significatione vsus est Plinius lib. 6. cap. 29. Iuba, inquit, qui videtur diligentissime profectus hęc, omisit in hoc tractatu, nisi exemplarium vitium est, Berenicem alteram. Idem docet Valla lib. Eligantiarum. 6. cap. 33. qui hęc duo passim confundi quo ad significationem probat. Quod etiam conatur ostendere Corasius in l. h. m. a. i. t. i. s. C. de impube. & alis. num. 16. Sic & Plinius in Epistolis, exemplar, inquit testamenti quauquam mendosum, misit tibi. Plancus item in Epistolis ad Ciceronem, exemplar eius chirographi misit tibi. De exemplo autem, quod ea dictio scripturam traducta ex originali significet, plura sunt testimonia praesertim in l. 2. ff. de fide instr. l. 1. §. si quis duob. ff. de honorum poss. secunda. tab. l. 2. ff. de edend. Ciceronem ad Atticu, Epistolam ad me Caesaris ostendi eam, cuius exemplum ad te ante misit. Idem Cicero ad Atticum li. 6. Epist. 141. Caesaris literarum exemplum tibi misit, quibus locis satis apparet, hęc duas dictiones eandem significationem habere, nec omnino certum esse quod Bartol. ad distinctionem earundem tradiderit, tamen alia ratione possit harum vocum significatus considerari.

His tandem praenotatis, oportet rem istam radicitus excutere, quandoquidem non leuis est, sed potissimum locum nata sit in forensibus concertationibus, & ideo primu caput autoritatis, quae instrumentis adhibenda est ab ipsomet tabellione constat, nepe a publica persona, quae Reipublice delegatione habeat munus istud publica conscribendi instrumenta. Quo quidem fit, vt maximo conatu Reges, & alii Reipublice Rectores sint admonendi, non esse quosuis homines huic muneri praeposendos, eosque potius seligendos, qui aetate, moribus, & fidei integritate sint probatissimi. Qua in re non raro fallimur, sed frequenter propter preces falsas, aut variis affectibus inuolutas, quae magno cum Reipublice malo, principibus offeruntur: atque ita sepiissime indigni publicis magistratibus & officis praescribuntur culpa eorum, qui hęc falsis suggestionibus, vel incertis operam dedere: non autem ipsorum principum qui non possunt ipsimet tot hominum sibi subditorum mores pernoscere & inquirere. Olim apud Graecos, auctore Emilio Probo, in vita Eumenis: honorificentius fuit Scribarum officium, quam apud Romanos: hi enim mercenarios existimant: ac Graeci ad id munus neminem admittunt, nisi honestis natalibus, fideque & industria cognitum: quod necesse sit, eos omnium consiliorum esse participes, & quamuis Aemilius non de tabellionibus, sed de scribis principum, ac nobiliu, quos Secretarios dicimus tractauerit, nihilominus eius autoritas non admodum est ab hoc instituto aliena: cum & tabelliones publicam habeant auctoritatem, eiusque fides omnino sit absq; alio testimonio adhibenda. scribas autem, quos Amanuenses item Latini dixere, maximo in honore fuisse constat apud veteres Latinos, & Hebraeos ex Liuiio & aliis, quemadmodum tradit Tiraq. de nobilitate. c. 34. n. 37. Tametsi Athenis Scriba ciuitatis, aut publicus, nomen fuerit ignominiosum, quippe non amanuensis, sed qui nihil aliud scriberet, quam actiones publicas, & ideo vile munus erat, auctore Libanio in orationem Demosthenis contra Aeschinem, quem eo nomine subinde notat Demosth.

Et sane cum tabellionibus hodie merces non tam propepera qua industria, & publico auctoramento constituta sit, non videntur tabelliones pro ignobilibus habendi: quod ex Ciceron. definitione li. 1. de Officiis adnotauit And. Alciat. in l. mercis appellatione. de verb. signific. tametsi in contrariu induxerit text. in l. vniuersos. C. de decurionib. lib. 10. vniuersos, inquit Imperator, decuriones volumus a tabellionum officiis temperare. Haec Constantinus Augustus, vt inferbitur in Codice Iustiniani, Quo in loco Accursius, & alii notat eius constitutionis ea esse rationem, quia vile officium sit tabellionatus, & procuratoris officium, quod eadem ratione interdictu est decurionibus, l. si quis procuratorem. C. eodem tit. de decurio. lib. 10. a quibus.



vbi ipse priuatus, contra quem producitur instrumentum, faceret: se rogasse illum tabellionem, vt conficeret illud instrumentum, eo modo, quo conscripserit, aut conuinceretur per testes. Et tunc non est necessaria fides publica instrumenti, nec tabellionis: quod si negaret instrumenti fidem, & diceret, id falsum esse: profecto non probatur contra eum instrumentum factum ab infami infamia iuris, quemadmodum contra Bart. admonet Abb. in d. c. cum alleus de fide instrum. num. 7.

Quinta conclusio: Instrumentum cōfectum à tabellione postquam affectus est infamia iuris, etiam ea careret tempore creationis, nullam habet fidem publicam. Hanc conclusionem ex eo probamus, quod hic infamis non possit exercere officium iuris tabellionatus, quemadmodum probatur ex gloss. in dicit. l. 2. §. miles ff. de his qui not. infamia. in ver. sacramento. Sic sane Bart. in dicit. leg. eadem. §. hac lege. n. 4. quique eū fecerit sunt: nempe Panorm. n. d. c. cum dilectus Card. & Felin. ibi, col. penult. idem Felin. post alios in dicit. c. fraternitatis. Bald. in l. exercendis num. 7. C. de fide instrum. hanc conclusionem veram esse censent in tabellione principis, & in eo, qui auctoritate publica constitutus est ad id munus exercendum in aliquo loco, & receptus sit in tabellionum eius loci numerum, & collegium. Nos vero hac in parte consideramus plurimum referre, quod infamis sit creandus tabellio: hic enim nullam consequi debet à republica auctoritatem, & ideo iure probatur, & procedunt quæ modo adnotauimus, vel quod tabellio verus, qui que habuit hanc à republica auctoritatem, infamis efficiatur ipso iure, & iuris infamia. Nam hic interim dum à republica toleratur, eiusque infamia latet & occulta est, nec officio priuatur per sententiam, imo eo vitur auctoritate publica propter communem errorem, videtur esse, censendus eo iure, vt sit ei adhibenda fides, eiusque instrumentis. l. Barbarius. ff. de offic. prior. & ideo hanc quintam conclusionem ego veram esse opinor, quoties infamia iuris est publica, & ideo publice constat, ob eam infamiam ipso iure priuari tabellionem vñ & exercitio officij: quicumque sit ipse tabellio, quod elegatē scribit Bald. in lege prima, Codice de sum. Trin. & fide Cathol. n. 6. quem Felin. sequitur in d. c. fraternitatis & in dicit. cap. cum dilectus colum. penult. Quibus accedit gloss. in authentic. de tabellio. §. pen. in verb. documentis. quæ vitur responsio Iuriconsulti in d. l. Barbarius. quo ad tabelliones, qui iure sunt eodem munere priuati. Cuius glo. meminerunt plures per Fel. citati in d. c. fraternitatis. notat idem Calder. conf. 2. de fide instrum. Igitur vbi tabellio est infamis infamia iuris, & publica, cuiusque ratione officio & munere priuatur, eius instrumentis non est fides adhibenda. Fatentur tamen omnes, instrumenta cōfecta ante infamiam istam, vim & auctoritatem habere. Innoc. Ant. & Felin. num. 12. in d. c. fraternitatis. Bart. in l. ad testium. §. 1. ff. de testam. & est Communis Opinio, quæ iure omnino probatur, cum eo tempore, quo instrumentum cōfectum est, & auctoritatem suscepit publicam, nulla fuerit labe notatus ipse tabellio.

Hinc deducitur, fidem esse adhibendam instrumentis illius tabellionis, qui cum infamis esset, creatus fuerit tabellio, eius tamen infamia occulta est. Nam propter communem ac publicum errorem, & titulum huius muneris à republica, vel principe concessi, eius est scripturis exhibenda fides secundum Spec. & Io. And. in tit. de instrum. editione. §. restat. vers. quid sit, qui non est notarius. qui existimant hoc verum esse in eo, qui vere creatus est tabellio, licet aliquo ex vitio fuerit sit titulus nullus: non autem in eo, qui nusquam fuit tabellio. Nam huius instrumentis non datur fides, etiam si communis hominum opinio censatur tabellio. Idem tenent Paul. & Imo. in l. ad testium. §. 1. ff. de testam. col. 1. sentit Bart. in l. Herennius. ff. de decurio. optime Fel. in d. c. fraternitatis. col. 2. de heret. & Calder. in d. conf. 2. de fide instrumentorum. Alex. conf. 80. col. 2. lib. 2.

Sexta conclusio: Licet infamia facti aliqua ex parte detrahatur instrumentis alicuius tabellionis ea laborantis, eorumque fidem publicam minuat: nihilominus infamis infamia facti potest cōficere instrumenta, nec officij exercitio priuatur, etiam si publica sit. Hanc conclusionem tenent Pan. & Fel. in d. c. cum dilectus. n. 40. de fide instrum. Quorum opinio multis probari poterit, sed eo maxime, quod infamia facti non priuatur quem dignitate, nec officio publico: quod omnes fatentur in d. l. 2. §. miles.

Septima conclusio: Infamis infamia facti, quæ ex crimi-

nibus oritur, non debet à principe nec à republica tabellio constitui, licet ipsius constitutio ex hoc semel facta, irrita non sit. Posterior conclusionis pars ex eo deducitur, quod infamis infamia facti nullibi cōfetur à iure indignus officio isto tabellionatus, qui dignitas non est: licet minor tunc detur fides, prior pars probatur, quia multo maior est auctoritas tabellionis, cui soli creditur, quam testis, c. cum Ioannes, vbi late tractant Abb. & Fel. de fide instr. Testis autē infamis infamia facti non admittitur in his, quæ graua sunt & ardua, quemadmodum ipse probauit in epitome ad 4. Decret. 2. par. §. vlt. c. 8. num. 8. quo in loco etiam asseruauit, quacunque in causa dimini arbitrio iudicis fidem testis infamis infamia facti: qua in re securus sum Panor. & alios in c. testimonium de testib. Igitur par est, non esse ad tabellionis officium, quod auctoritatem publicam habet, admittendum infamem infamia facti.

Primum ex his deducitur, quanti faciendū sit argumentatio quorundam, quos sequitur Ioan. Lup. in c. per vestras. 3. notab. §. 9. num. 5. qui censent posse quempiam non obitante nota & infamia esse tabellionem, qui tamen non poterat esse testis. Sic etenim argumentantur, vt dissoluat aliquot, quæ eorum opinionibus obici solent. Cum tamen hæc argumentatio, aut differentia fati leuis sit, & omnino iuris rationibus aduersa: Quis enim non videt, eum repellendum esse à tabellionis officio, qui à testimonio propter vitium, vel infamiam repellitur poterat?

Secundo constat, spurios posse tabelliones esse, non 6 quia infamis potest esse tabellio: sed quia spurius non est infamis infamia iuris, nec etiam infamia facti, quæ oriatur ab eius moribus improbatis, ac potius ob culpam parentum quadam ad peculiare effectus iure afficiatur nota, que dicitur à multis infamia facti. Hanc conclusionem ipse veram esse opinor indistincte secutus Cald. in consil. 2. de fide instrum. siquidem Ang. in consil. 285. Alexand. consil. 80. lib. 2. col. 2. Tiraquellus de nobilitate. cap. 34. num. 26. & cap. 15. num. 15. probare conantur, & tenent, spurium non posse tabellionem esse ad acta iudicialia, & publica conscribenda, tamen fatentur posse esse simplicem tabellionem: ex Bart. opinione in d. §. hac lege. cuius superius meminimus. Idem notat Ioan. Lup. in d. §. 9. num. 7. quorum ea est ratio, quod spurius infamis sit. Quam rationem falsam ipse opinor esse, vere ni fallor, intelligens, spurium esse infamem quadam infamia facti, quæ potius à culpa progenitorū, quam ipsius moribus procedat. Quod tradit multis auctoribus citatis And. Tiraq. in d. ca. 25. num. 14. hanc vero infamiam iure Canonico, & ciuili à multis dignitatibus expellere ipsos spurios constat: non tamen alicubi legitur, eos indignos esse tabellionis munere, & his similibus. Quæ de re pulcher est Iuriconsulti locus in l. spurij. ff. de decurionibus. vbi spurij non censentur indigni decurionatus dignitate: imo permittum est, eos posse ad eandem admitti. Idem constat in l. generaliter. §. spurios. ff. eod. tit. Nec quidquam vrget in contrarium hic posterior locus, dum Iuriconsultus respondet, quod si spurius habeat competitorem legitime natum, is sit præferendus spurio. Nam hæc responsio æquissima est, & in hoc tendit vt melior eligatur ad eam dignitatem: ad quam posse spurium eligi nulla dubitatio est: vt ipse Iuriconsul. fatetur, qui hoc ipsum plane negasset, si spurius infamis foret, eaque dignitate indignus: & esset alius eligendus: omnis competitorebus itidem spurij, nec essent spurij admittendi ad petitionem & electionem decurionatus.

Tertio ex præmissis discuti, & examinari potest, quod quidam adnotarunt asserentes, nobilem, quem vulgo hidalgum dicimus, & qui liber est à solutione tributorum, & censu: quos soluere tenentur plebei, & populares villani, reipublicæ, & principi, cogendum esse cum plebeis contribuere, si tabellio sit, & officium tabellionis exerceat alibi, quam apud ipsum principem, eiusque curiam. Huius opinionis auctores sunt Guid. Papæ quest. 90. Aymon consil. 163. lib. 1. Ioan. Mauritius in repe. l. vnica. C. mulieres quo loco pag. 243. Tiraquel. de nobilitate. q. 31. num. 9. non alia ratione, quam quod tabellionatus sit vile officium & infame. Hæc etenim sententia mihi falsa videtur, nec iure probari poterit, cum hoc officium vile non sit, nec infame: nec vllibi vquam constat, priuilegia nobilitatis ex eo perdi, & amitti, quod nobilis tabellio sit. Quamobrem ipse opinor, hidalgum, etiam si tabellio sit, non esse cogendum contribuere

bucere cum plebeis ad solutionem tributorum, & superindictionum, quæ principi soluendæ sunt à plebeis. Sed & idem respondendum est in procuratoris officio, quo si nobilis, & hidalgus utatur, non priuatur nobilitatis, & hidalguitæ priuilegiis, etiam ubi hoc officium exerceat apud ea tribunalia, quæ sunt extra curiam principis & Regis. Etenim officium hoc etiam si vile sit, cum exercetur extra principis curiam, non tamen priuat quem nobilitatis priuilegiis quo ad contributionem & solutionem tributorum: cum hoc priuilegium non tam pertineat ad publicum decorem nobilium, quam ad ipsorum immunitatem, exemptionemque ab onere soluendi tributa. Quin & receptum est in Hispania his locis, quibus nobiles hoc utuntur priuilegio immunitatis, eaque tributorum exemptione minime cogi nobiles ad solutionem, etiam si Artem aliquam exercent mechanicam, & ex his, quæ nobilitati derogant: quarum Tiraquel. late meminit. *in d. tract. de nobilitate, c. 30. & seq. tametsi priuilegiis quibusdam, quæ moribus; vel iure nobilibus conceduntur propter publicum decorem ipsius dignitatis, non debeat honorari, nec gaudere nobiles, qui vili funguntur officio. Igitur quod de procuratore nobili modo respondimus, non est ab usu forensi alienum, siquidem non semel vidimus fabros lignarios, eiusmodiq; artifices probata ipsorum nobilitate, quam hidalguita dicimus, pronunciari à solutione & contributione subsidiorum regalium immunes: licet Guido Papæ q. 89. & que. 388. & que. 399. Chassanæ. consil. 63. col. penult. Tiraquel. in d. c. 30. nu. 3. tenuerint, nobiles exercentes extra curiam Regis officium procuratores cogendos esse ad solutionem regalium subsidiorum, & priuari nobilitatis priuilegio. Quod post omnes alios omniumque latissime tractat Tiraquel. Sed & idem probare conatur Ioan. Maurin. *in d. vnica, pag. 242.* nec tamen ex hoc negamus, officium procuratoris extra principis curiam esse vile, cum & infamis esse possit procurator. *§. vlt. & ibi et. Inst. de except. notant post alios Ial. in Rub. C. de procurat. n. 6. & Tiraq. in d. c. 30. quem legito.**

8 Quarto ex his penditur ratio eorum qui censent clericis interdictum esse tabellionis officium ex eo, quod vile sit, nec decet ordinem clericorum ob eorum insignem ministerium. Hac etenim ratione plerique utuntur, præsertim Abb. in c. si ut. col. 3. *ne cler. vel monach.* quæ tamen non est omnino sufficiens: ut constat ex proxime traditis: atque ideo ea erit vera ratio, ne clericis immisceantur negotus, & muneribus, quod probatur *in l. c. deur.* Nam clericus tabellio poterit esse apud iudicem & forum ecclesiasticum, secundum Hostien. Ant. Abb. in d. c. si ut. & Flor. 3. part. tit. 3. c. 2. *§. pen. text. optimus in c. 1. postuland. & est Communis opinio, sic sane accipienda, ut obtineat in clericis nondum sacris ordinibus insignitis. Nam clericus in sacris ordinibus constitutus, ut ipse reor, non poterit extra Romanam curiam in foro ac tribunali publico tabellionis officium exercere, etiam si non habeat beneficium ecclesiasticum, quemadmodum deducitur ex autoritate Card. in d. c. si ut. & Alb. Troiti in tract. de vera. & perfectio clerico, lib. 2. c. 34. nu. 9. dum ipsi assertunt, clericum in sacris constitutum, non posse tabellionis officium exercere: idq; verum esse indistincte in his, licet in aliis clericis distinctio quadam fieri possit. Sed gl. Abb. col. 3. Ioan. And. in d. c. sic tenuerunt clericum in sacris constitutum etiam extra curiam Romanam posse uti hoc officio in foro ecclesiastico, si non habeat beneficium ecclesiasticum, vnde possit digne sibi alimenta ministrare. Quasi ea sit receptor sententia, & distinctio, quod clerici siue in sacris, siue in minoribus constituti beneficium ecclesiasticum habentes, non possint hoc officium exercere extra Romanam curiam, etiam in foro ecclesiastico: qui vero beneficium non habuerint, etiam si sint sacerdotes, eo uti possint in foro ecclesiastico. Ego vero hac in controuersa, ut modo cæperam exponere, quo distinctior sit eius definitio, tres vel quatuor constitui conclusiones.*

Prima conclusio: Clericus in sacris constitutus, etiam beneficium ecclesiasticum habens, poterit apud curiam Romanam ecclesiastica tribunalia tabellionis officium exercere, quod Pan. & alij in d. c. si ut. propter summam Pontificis consensum tacitum, & tantæ curiæ dignitatem eocessum esse fatentur.

Secunda conclusio: Clericus sacris ordinibus insignitus, etiam si beneficium non habeat ecclesiasticum non poterit officium tabellionis exercere, adhuc in ecclesia-

sticis tribunalibus. Hanc conclusionem probamus ex d. c. si ut. ubi Cardin. eam tenet & paulo ante citatus Albertus Troitius. Nec quidquam impedit eius probationem, quod inibi constituitur pœna priuationis beneficii ecclesiastici, si quis contrarium fecerit. Nam ea constituitur non omnino præmittit, eius prohibitionem intelligendam fore in clericis habentibus beneficium ecclesiasticum, sed ea utitur pœna, quia frequentissime contingit, sacerdotes habere beneficia ecclesiastica, & quia vult summus Pontifex, beneficium ecclesiastico priuari eum, qui sacris donatus ordinibus tabellionis officio operam dederit, si illud habeat: quod si illud non habuerit, alia erit nihilominus pœna puniendus. Hanc opinionem asserimus veram esse contra Panorm. & alios qui voluere, posse sacerdotem non habentem beneficium ecclesiasticum, tabellionis officium exercere apud quæcunque tribunalia ecclesiastica. Quorum sententia vera erit in curia Roma. publice, & extra curiam in negotiis ecclesiasticis, quæ priuatim, & non in foro publico expediuntur. Quod etiam licet sacerdoti beneficium ecclesiasticum non habenti.

Tertia conclusio, quæ Communis est clericus etiam in minoribus constitutus, habens ecclesiasticum beneficium, vnde possit congrua sibi alimenta exhibere, non poterit uti tabellionis officio, etiam in ecclesiasticis publicis tribunalibus. Hoc enim munus proprie laicis conuenit, aut clericis, qui aliunde non possunt sibi alimenta exhibere. Hanc opinionem tenent Host. Ant. & Abb. in d. c. si ut. col. 3. vnde constat, clericum in minoribus constitutum, qui non habeat beneficium ecclesiasticum, posse officium tabellionis exercere coram iudice ecclesiastico, etiam in eius publico tribunali.

Quarta conclusio: Clericus in minoribus, non habens beneficium ecclesiasticum, poterit esse tabellio etiam apud secularia tribunalia publice, nec hoc prohibetur aliquo canone, atque ideo admittendum erit, nisi lex, vel consuetudo aliud induxerit: atque ideo lector poterit hoc in loco repetere quæ nos adnotauimus inferius. c. 3. *vers. de rici autem prima consensu.* Ex contrario tamen poterit laicus esse tabellio in foro & tribunali publico ecclesiastico. Quod communi omnium consensu receptum est, teste Ripam. c. 2. de iudic. num. 20. etiam in causis ecclesiasticis.

Quod si Sacerdos tabellionis officio utatur, & aliquod instrumentum confecerit, erit ea scriptura publica, & valida, eique fides adhibetur, si aliqui vere tabellio erant: licet male faciat, huic officio iure sibi interdicto se immiscens: quem admodum voluere Barto. in l. vniuersos. C. de denunciationibus. lib. 10. Ioan. And. & omnes in c. si ut. Dec. in l. in ambiguis. §. non est nouum. ff. de reg. iur. idem in d. c. 2. nu. 7. idem in cons. 17. quæ quidem opinio Communis est, ut fatetur Alex. eam sequutus in l. prior. §. his etiam. ff. de edend. quam & Hippolyt. sequitur in Rub. ff. de fidei. nu. 121. scribens ex ea posse sacerdotem scribere, officio tabellionis usum, testamentum in quo pater eius instituitur hæres: quod prius notauerat Bart. in consil. 61. & hæc quidem vera sunt ante publicum huius officij interdictum: siquidem instrumentum à sacerdote tabellione confectum, posteaquam publice fuerit interdictum exercitium tabellionatus, nullum est, secundum Bart. in d. c. conf. 61. Anch. & Abb. in d. cap. si ut. Ial. in l. 1. §. huius studij. ff. de iust. & iur. co. pen. Sed si presbyter tabellio non sit publica creatus autoritate, scriptura ab eo confecta priuata erit non publica: quod Decius explicat in cons. 120.

Monachus vero adeo prohibetur iure tabellionis officio uti, quod instrumentum ab eo conscriptum absque licentia Abbatis est nullum ipso iure: sicuti ex cap. 1. & cap. sed nec nec clerici vel monach. notat in specie Decius in d. cap. 2. de iudic. num. 8. tamen si Monachus possit post professionem complere, & signare instrumentum, quod ante monachatum in eius protocollo conscriptum fuerat ab eodem, vel ipsius autoritate, & coram ipso à contrahentibus in conventionem perfectam deductum glo. insignis in cap. vi. officium. §. verum de heretico in 6. quæ Singularis est, secundum Franciscum ibi. Flor. in l. repetita. ff. de fidei instrum. quam alij pleriq; miris laudibus efferunt, & sequuntur, præsertim Abbas & Fel. in cap. fraternitatis. de here. colum. 2. Ial. in l. 1. §. huius studij. ff. de iust. & iur. col. pen. Decius in d. c. cap. 2. num. 8. de iud. Bal. in l. 2. col. vlti. C. de sentent. & interloc. omn. iud. Fel. in c. consilium de iudic. idem in cap. cum l. & A. de re iudic. colum. 5. Ioan. Bernard. in pract. crim. c. 53. Chassanæus consuet. Burgund. Rub. 1. §. 6. nu. 20. Hæc

Hæc sane latius, quam fortassis instituto conuenire quibusdam videbitur, ex eo tractauimus quod prima, ac potissima instrumenti publici auctoritas ex hoc constat, quod sit scripta ab eo, qui vere tabellio sit auctoritate publica constitutus, & in id munus electus. *c. cum P. tabellio. de fid. instr. Auth. tabellionib. in prim. Regia lex l. i. tit. 18. part. 3. [hodie l. 3. tit. 2. li. 7. Recop.]* Tradidit optime Fel. num. 18. Dec. num. 16. in c. 1. de fide instrum. Qua ratione forensi vsu apud Regia tribu- nalia receptum est, vt si quando productum in iudicium in- strumento obiectum sit, illud non esse publicum, nec au- thenticum, quia non sit a publico, & vero conscriptum tabellione, qui illud poduxerit, teneatur probare, id a vero & publico, saltem communi æstimatione tabellione con- scriptum fuisse. Regia l. 115. tit. 18. part. 3. cuius meminit ele- ganter Roder. Zueres in l. post. rem. ff. de re iud. in 2. par. legis Regia fol. 145. & idem iure cõmuni probat Aym. in tract. de antiquit. temp. 3. part. c. vidimus. n. 2. not. Inno. in c. veniens. col. 2. de verb. signat. vt contra publicum instrumentum opponitur, illud fal- sum esse, tunc qui opponit probare tenetur falsitatem, alio- qui præsumitur pro instrumenti publici auctoritate, quod expressim definit Regia itidem lex 116. tit. 18. part. 3. etenim sicut in priori casu publica auctoritas non præsumitur: ita nec in posteriori delictum est præsumendum. Prior huius argumentationis pars latissime traditur a Iaf. in l. Barb. vniu. n. 45. ff. de off. prætor. & Alciato de præsumptio. regu. 3. præsump. 13. n. 15. qui commune in seculi opinionem probant adeo hoc verum esse, vt etiam si cõmuni errore & opinione tabellio ille officium exercuerit, nihilominus instrumentum sit nullum, careatque publica auctoritate, quod ipse intel- ligo, si aduersus hunc communem errorem constet, illum non fuisse creatum tabellione: alioqui in dubio, dum con- trarium non probatur, satis erit probari, ab eo qui productum instrumentum, quod eius auctor communi opinione cense- batur eo tempore tabellio, & publice eo yebatur officio: quemadmodum Regia lex manifestissime decreuit: & multis probari poterit, quæ a Iafone, & aliis traduntur. Eundem autem argumentationis posterior pars constat, quia pro instrumento publico præsumitur, *c. ad aud. entiam de præscrip. l. si quis decario. C. de fals. l. cum præcibus. C. de proba. &* ideo qui allegat falsum esse instrumentum, illud probare debet.

Auctoritas autem publica tabellionis a Principe dari debet: quod omnes fatentur *in d. c. cum P. tabellio. notat Bald. & alii in l. 1. C. de emancip. liber. Iafon in l. imperium. num. 27. ff. de iurisdic. omni. iudic. Regia l. 3. tit. 19. part. 3. Ioan. Lup. in introdu- ctione cap. per vestras. de donat. inter virum & vxor. num. 20. & an. Duce. Comites, Marchiones, & alii inferiores habentes iurisdiccionem in ciuitatibus, villis & oppidis possint tabelliones constituere, eligere, ac creare, tradit Innoc. & alij in d. c. cum P. late Petrus Auendanius in tractat. de exequend. man- dat. Regis. r. 10. Qua de re tractauere Regæ leges 3. tit. 19. part. 3. l. 1. tit. 18. lib. 2. ordina. [hodie l. 3. tit. 2. lib. 7. Recop.] l. 7. tit. 1. lib. 7. l. 23. tit. 2. eod. lib. ord. l. 6. tit. 1. 3. lib. 3. [hodie l. 1. tit. 15. li. 4. Recop.] l. 18. & l. 10. tit. 2. lib. 7. ordi. [hodie l. 1. tit. 3. lib. 7. Recop.]*

Sed & de Apotolicis tabellionibus, ac notariis, quamam ratione & forma vti debent propriis officis in hæc reg- nis: & quod in rebus ac negotiis secularibus, & prophanis minime faciant publica instrumenta, est Regia l. in sig- nis præter alias in pragmat. Regum Catholicorũ, fol. 196. idque iure iustissimum esse probare conatur Io. Faber in l. sciendum. C. de dona. & Io. Lup. in d. Rub. de donat. fol. 3. sed & Re- buffus super leges Regias in tract. de liter. obligat. art. 2. gl. 1. nam. 34. multa hac de re tradit, tametsi contendat, iure probari posse contrarium. Quibus adde Rupellani lib. 1. forensium l. iustit. c. 7.

## CAPVT XX.

Rursus de auctoritate publici instrumenti, quæ oritur ex his, quæ vt solennia eidem accedere debent.

## SVM M A R I A.

- 1 Nomen Domini, an sit necessario inscribendum initio cuiusque instrumenti publici & de nomine Imperatoris.
- 2 Annorum Domini mentio fieri debet in qualibet instrumento: item dici & mensis in quo confectum fuerit.
- 3 Locus est expressim commemorandus in publicis instrumentis.
- 4 Testes necessarij sunt ad solennitatem cuiuslibet instrumenti publici.
- 5 Tabellionis subscriptio item necessaria est.
- 6 Publicum instrumentum, quot testibus reprobari possit.

7 Instrumentum semel in iudicium ab uno prolatum etiam aduersario suffra- gatur.

8 Instrumenta publica, quo tempore litis sint proferenda?

9 Publicum instrumentum, quam fidem faciat inter extraneos, a quibus con- fectum non est.

PRæter publicam tabellionis auctoritatem sunt & plura necessaria, quæ instrumenti publici solennia censentur, sine quibus minime cõsequitur publica & authenticam fi- dem: quorũ ea hoc in capite prosequar, quæ potissima sunt ad scripturaturũ, quas tabelliones cõscribere solent vim & robur legitimum, ne ab his, contra quos producantur in iudicium, valeant crebris obiectionibus improbari.

Primum 7 etenim quibusdam placuit fore necessarium, quod in quolibet instrumento publico initium adsumatur à Nomine Domini his equidẽ verbis: In Dei nomine. *glos. in authent. vt præponatur non en Imper. sto. eius constitutionis au- thoritate, quæ minime hoc probat: cum inibi hoc tantum scriptum sit, quod illa solennitas conficiendi instrumenti statim post illam constitutionẽ seruetur prima indictione, quæ tunc auctore Deo appetit: atque ita non esse necessa- riam inuocationem Domini, tenent Bal. in l. confitit. Codicis, col. pen. Abb. & alij in ca. 1. de fide instr. quorum Opinio Communis est, vt fatetur Aleu. lib. 6. Parer. c. 6.*

Secundo, nomen Imperatoris præponendum est instru- mento publico, quemadmodum probat *tex. in dict. authent. vt nomen Imp. & id in locis, quæ imperio subsunt. Nam in his, quæ summo Pontifici quo ad temporalia subiciuntur, no- men ipsius Papæ est apponendum, secundũ Abb. in præmio Gregoriano col. 5. & in dict. capit. 1. quo in loco idem omnes ad- notantur. Idem ipse dicerem de nomine Regis, qui alteri in temporalibus non est subditus: & tamẽ hæc solennitas consuetudine, ac moribus, & forensi vsu est antiquata, at- que ideo nullum est periculum quò ad vim instrumenti, quod omittatur: tametsi Panora. in consil. 53. lib. 2. probare conetur hanc consuetudinem non omnino validam esse, nisi sit immemoralis, aut tacito consensu Principis indu- cta. Nam ipse non tanti facio hanc solennitatem, vt opiner, non posse tolli consuetudine saltem quadraginta annorũ, & fortassis ordinaria, imo hanc sufficere libenter assue- rauerim, quidquid hac de re late Barb. disputauerit in rep. Rub. de fide instrum. num. 43.*

De indictione autem, an sit eius mentio necessaria in in- strumento, idem respondendum esse arbitror, quemad- modum ipse tradidi lib. 1. Variar. resol. cap. 12. m. 7.

Tertio, illud est necessarium, quod in instrumentis appo- natur annus Domini. *glo. in ca. inter dilectos. de fide instr. in verb. indictionis. quod iure nõ requiritur, nec probatur, sed potius consuetudine gl. in d. authent. vt præponatur nomen Impe. quam se- quuntur Abb. in præm. Gregor. col. 5. Abb. Fel. & Dec. col. 2. in d. c. 1. de fide instr. & licet Barb. in Rub. eius. tit. in repe. n. 42. sequutus Spec. teneat, necessariam esse mentionem in instrumentis ipsius anni Domini, in quo id confectum fuerit, & id iure probari: ego duo censo esse hæc in re notanda. Primum, satis esse quod consuetudine fuerit hæc solennitas inducta, vt ea omissa instrumentum sit nullum. Nec enim poterit cõtrouerti, imo constitutissimum est, mentionẽ annorum Domini maximi esse momenti, vt constat, quo tempore sit cõfecta scriptura: deinde apparet, instrumentum esse nul- lum, si omissa fuerit in eo solennitas consuetudine tantum inducta, modo ea sit maximi momẽti non leuis, quod tra- didere Alexan. in Rub. ff. de noui oper. nunc. c. 1. 6. Dec. in d. c. de fide instr. col. 2. Soc. cons. 2. lib. 3. col. 1. igitur nullũ erit instrumentũ, quod fuerit scriptum omiffa mentione annorũ Domini: sic denique in praxi receptũ est, nec vidi vnquã hac de re ambigi: cum alioqui maxima possit cõtingere incertitudo cuiuscunque iuris quòd esset scriptura probandum.*

Potissime hoc obtinet in his Hispaniarũ regnis, in quib. lege Regia satis cautum est, non valere instrumentum pu- blicum, in quo non sit facta mentio annorum Domini. Quod expressim traditur in l. 4. c. l. i. tit. 18. part. 3.

Secundo erit obseruandũ, in quacunque scriptura publica necessarium esse, quod fiat in ea mẽtio annorum Domini, aut saltem alio signo habeatur ratio eius temporis, in quo ipsum instrumentum cõfectum est, vt cõstet eius dies, quæ ad rei cognitionem omnino est necessaria. Sic sane apud veteres tempus significabatur per Olympiades, per Con- sules, & nunc Romæ plerunque significatur per annos Pontificatus ipsius pontificis. De quo multa diximus: & explicuimus alias lib. 1. Variar. resolutio. cap. 12.